

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Dissertationes refutatoriae synodalis ab Heinrico Heideggero professore Tigurino adversus sacras

Reding, Augustin

Monasterii Einsidlensis, 1669

Dissertatio XV.

[urn:nbn:de:bsz:31-162659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-162659)

isse, quas in dedicationibus Ecclesiarum Episcopi
usurpant.

DISSERTATIO XV.

Quibus caeremonijs fuerit Sacellum
Einsidlense à Christo Domino conse-
cratum?

I. HOS ritus ex sancti Conradi libro
de Secret. Secret. desumptos ex par-
te, non absque tamen suo consueto con-
vitiandi modo Heideggerus cit. S. 19. re-
censet in hæc verba. Nempè in thuri-
bulis aureis thus ministrarunt Angeli,
putà Angeli Custodes tum Sacelli ejus,
tum Monasterij Einsidlensis, tum Hel-
vetiæ universæ, ac finitimarum regio-
num, ut asserit Redingus: Beatus Gre-
gorius extitit minister de stabello, adeo-
que Sacellum aspersit aquâ benedictâ in-
tra Sacellum ab Humanitate Christi in
instanti productâ: Christus Sacellum
& altare oleo & chrysinatè unico vo-
luntatis suæ nutu ex aere factò inunxit:
idem Missam celebravit, & contactu al-
taris

raris effecit, ut præ omnibus Reliquijs præstaret. Credant hæc & similia de Christo & Sanctis, qui sucti sunt, omnes sacrificulorum voces habere pro oraculis: ego malo credere de præstigiatoribus, qui ut Comicus loquitur, argento comparando fallacias fingunt, & dolis miseram plebem ductant.

II. Heideggere, nihil in hoc agis dignum Theologi (quo gloriaris) nomine, dum non per rationem, sed per calumniam duntaxat niteris ea exsufflare, quæ tum sanctus Conradus citatus, tum Redingus in suis de Sacello Einsidlensi Divinitus consecrato Sacello Discursibus Theologicis Disc. 7. disseruit. Et verò sancti Conradi authoritati par non es, ut vel solis convitijs eam elidas. Redingus autem, quæ loco citato non per demonstrationem, sed per probabilem argumentationem expressit, eadem nunc reproducit, te provocando, ut Theologicè, non verò calumniosè discutias præallegatum Discursum VII. qui sic se habet,

G

III, Pri-

III. Primò igitur ex thuribulis aureis sub Divinâ Einsidlenſis Sacelli conſecratione fuiſſe thus miniſtratum ab Angelis, patet ex dicto libro *De Secret. Secretorum*. Quo ſuppoſito ſic diſcurrit. Qui verò fuerint iſti Angeli, non improbabiliſter deciditur ex eo, quòd Doctores in Apocal. 6. 8. v. 3. colligant, Angelum Cuſtodem Altaris ac Templi aſſiſtere Miſſæ Sacrificio, ut preces Sacrificantis, & hoſtias Deo offerat. De quo S. Thom. 3. p. q. 83. a. 4. ad 9. aſſerit, intelligi orationē Sacerdotis in Miſſâ petentis Deum, ut jubeat Corpus Chriſti myſticum, ſcilicet orationes Sacerdotis, ac populi per manus Sancti Angeli Cuſtodis tum Sacrificantis, tum Eccleſiæ, & Altaris deferri in ſublime Altare in conſpectu Divinæ Majeltatis ſuæ. Sic vocem Diaconi *Ite miſſa eſt*, exponit idem S. Doctor, eſſe *nim.* hoſtiam mediante Angelo miſſam ad Deum, & ab eo acceptam. Sic in veteri Teſtamento Gedeoni ſacrificanti aſtitit Angelus, qui virgâ tangens victi-

victimam elicuit ignem de petrâ, ut vi-
 ctimam incenderet, atque consume-
 ret. *Iud. 13.* Sic Angelus apparuit Da-
 vidi in Areâ Areunâ Iebusæi locum
 Templo per Salomonem ædificando de-
 signans. *2. Reg. 24.* Simili ergo ratione
 Angelos in Consecratione Sacelli Ein-
 sidlensis ferentes thuribula aurea credē-
 dum est, Custodes fuisse tum præfati Sa-
 celli, tum Monasterij Einsidlensis, tum
 Helvetiæ fortassis vniversæ, ac finiti-
 marum Regionum, quarum cives &
 incolas Divinum hunc locum frequen-
 turos prævidebant, eorumque pre-
 ces, & oblationes sibi faciendas in Ver-
 bo, seu speculo Divinitatis præcogni-
 tas tamquam incensa deferebant ad De-
 um in thuribus aureis, Christi nimi-
 cum Humanitate per charitatem arden-
 te, ac oblationes illas virtute sanguinis
 in Cruce effusi inflammante, ut earum
 fumus de manu Angelorum ascenderet
 coram Deo.

IV. In Dedicacionibus Ecclesia, &

G 2

Al.

Altaria asperguntur aquâ benedictâ, cuiusmodi fuisse adhibitam in Consecratione Sacelli Einsidlenſis, patet ex teſtimonio S. Conradi atteſtantis, Beatum Gregorium Papam extitiſſe miniſtrû de ſtabello. Sed unde, & qualis erat aqua illi Sacello aſperſa? Hanc elementarê, ac naturalem fuiſſe haud dubito, ſi enim in Baptiſmate elevatur ad ſupernaturalem gratiæ habitualis formam phyſicè, vel ſaltem moraliter producendam, cur aliam quis diceret in Conſecratione Sacelli præfati adhibitam? Quam nihilominùs arbitror non ex fonte aliquo, ſeu flumine Angeli miniſterio hauſtam; ſed intra Sacellum ab Humanitate Chriſti fuiſſe in inſtanti productam ex materiâ aeris. Etenim Chriſti animâ, tamquam Divinitatis inſtrumento ratione unionis cum Verbo eſſe communicatam virtutem producendi effectus miraculoſos, & ſupernaturales, clarè deducitur ex ſacris litteris. Quam virtutem Inſtrumentalem à ſubſtantiâ humanita-

niratis Christi realiter indistinctam, esse potentiam obedientialem activam, vi cujus entitas naturalis possit à Deo elevata tanquam instrumentum assumi ad effectus naturæ proportionē excedentes, præter alios plurimos maximè recentiores docet Cajetanus 3. p. q. 78. a. 4. Hæc porro obedientialis potentia est posita in manu, & arbitrio libero animæ Christi, ad cujus placitum à Divinitate hypostaticè ipsi unità assumatur ad effectus quoslibet miraculosos & supernaturales producendos. Suarez *cit. disp. 13. sect. 3. concl. 2.* Sic ergo Christi humanitas ceu Divinitatis Instrumentum instantaneâ actione produxit ex aere aquam Sacello Einsidlensi à se consecrato aspersam.

V. Quis non immeritò dubitare possit, an Christus Sacellum Einsidlense consecrans fuerit usus unctionibus in Ecclesiæ Dedicatione fieri solitis? Si enim solo aquæ Jordanis tactu per Christum est sanctificatum universum aquæ

Elementum, ita ut istius ablutio nomine Christi exercita, sub formâ Baptismatis habeat virtutem ex opere operato imprimendi animæ supernaturalem Characterem, atque Divinam gratiæ sanctificantis formam, cum donis Spiritûs Sancti, & virtutibus infusus conferendi. Ex quâ ratione S. Thom. 3. p. 2. q. 72. a. 4. probat, Chrisma, ut sit materia valida Confirmationis, debere ab Episcopo esse consecratum, non verò aquam Baptismatis, eò quòd ista, non illud Christi Dòmini usu, & contactu sit sanctificatum, ac elevatum ad vim sanctificandi. A fortiori ergo Christus in Sacellum Einsidense corporaliter descendens, videtur istud consecrâsse reali suâ præsentia, solo contactu absque Chrismatis & Olei unctionibus. Nilominus cum istę actiones Divinitatis, ejusque Attributorum excelsentiam, & Majestatem repræsentantes, sint quidam Patriæ cultus, cujusmodi à Christo homine non tantum in terris, sed perpetuò

lentiæ, vi cujus in faciendis Miraculis, vel gratiæ divinæ effectibus non pendet ab elementis corporalibus. S. Doctor 3. p. q. 64. a. 3. attamen in illumando cæco nato usus fuit luto salivæ suæ mixto, in communicando Spiritum Sanctum, & potestatem remittendi peccata, fecit insufflationem in Apostolos, in mundandis decem leprosis exegit, ut se ostenderent sacerdotibus. Cum proinde absurdum non sit, Christum mediantibus creaturis, tum intellectuales, tum irrationalibus, ceu instrumentis efficere Sacramentorum, ac miraculorum effectus, Divi Conradi *ab init. hujus Discurs.* propositæ attestationi credendum, atque dicendum est, juxta Ecclesiæ consuetas Cæremonias, fuisse à Christo in Sacelli Einsidensis consecratione adhibitas Chrismatismis, & Olei corporales unctiones.

VI. Ad Altaris consecrationem necessariò requiri, aliquas in eo includi Reliquias, Durandus *lib. 1. ration. Divin.*

G. H. 5. con. 17. Offic.

Offic. c. 7. n. 21. Sylvester ver. Altare q. 1. Azor 10. 1. lib. 10. c. 27. q. 8. & alij probant ex eo, quòd Ecclesia in Introitu Missæ oret per merita Sanctorum, quorum Reliquia sunt in Altari. Sed in Sacelli Einsidlensis Altari vix credibile est, Christum inclusisse aliquas Sanctorum Reliquias, unde videtur à celebrante ibi Missam omitti debere verba Introitus, Quorum Reliquia hic sunt. Verùm Reliquiarum in Altari consecrato inclusionem esse tantum de decentiâ, non verò de præcepto, tenent Panormit. c. 1. de Consecrat. Eccl. à n. 2. Suarez 10. 3. in 3. p. disp. 81. sect. 5. Vasquez de Euch. disp. 233. t. 2. n. 16. Ferdinand à Castropal. de Missa Sacrific. p. 9. n. 5. ubi addit, verba Ecclesiæ in Missæ introitu orantis per merita Sanctorum, quorum Reliquia sunt in Altari; intelligi conditionatè, ut sensus reddatur, Oramus te Domine per merita Sanctorum tuorum, quorum Reliquia hîc sunt, id est, si fuerint, & omnium Sanctorum. Sed abstrahendo

G 5 ab

ab istâ controversiâ, dubium esse non potest, Sacelli Einsidlensis Altare cõtinerè, imò esse Reliquias Christi, Beatissimæ Virginis, aliorumq; Sanctorum. Si enim horû vestimenta ex solo contactu, si instrumenta ad cultû Dei à Sanctis usurpata, si mensa, in quâ Christus instituens Eucharistiam, consecravit suû Corpus & Sanguinem, si Domus sacra, intra quam salutante Angelo Virgo concepit de Spiritu Sancto, & Verbum est caro factum, sint Reliquiæ cultu Religionis Duliæ, aut Latriæ honorandæ; An ergo inter sacras Reliquias referri non deberet Sacelli Einsidlensis Altare Christi Domini contactu & consecratione sanctificatum, in quo Christus ipsemet Eucharistiæ perficiens Sacramentum celebravit Missam, super quo Virgo Beatissima claritatis suæ radios diffundens stabat, cujus consecrationi realiter erant præsentès Sancti ac Beati, ibi exercentes actiones corporales. Certè sacerdotem in hoc Altari consecrantem non con-

conditionatè, sed absolutè oportet orare per merita Christi, B. Virginis, & Sanctorum superius recensitorum, utpote quorum Reliquiæ ibi verè existant.

DISSERTATIO XVI.

An ex eo capite liceat negare, Sacrificium Missæ in Sacello Einsidlenfi esse à Christo celebratum, quòd repugnet simplicitati & puritati Ecclesiæ?

I. **H**eideggerus cit. S. 19. Arg. 4. sic arguit. Missa Pontificia seu theatraica illa & sacrificialis repræsentatio mortis Christi per verba, ornamenta, ritus, gestus, actus varios, nec Verbi Divini testimonium ullum habet, nec veteris Ecclesiæ praxi subnititur, nec Ecclesiæ simplicitati & puritati convenit. Imò vergere eam unice in contumeliam veri Sacrificij Christi, argumentis irrefragabilibus evicerunt nostri.

II. Rogo ex isto Tigurino Doctore, an non Eucharistia, sive cœna Eucharistica sit mortis Christi repræsentatio?